passionis in sede celesti et honore divino · fidei nostre resur-
recturus offerret qui mortuus credebatur.
Quid est quod me querebatis? Nesciebatis quia in his que pa-
tris mei oportet me esse. Due sunt in Christo generati-
ones · una est paterna · materna altera · paterna divinior, mater-
na vero qua in nostrum laborem usumque descendit. Et ideo que super natu-
ram · super etatem · super consuetudinem fiunt, non humanis assignanda
virtutibus · sed divinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad
mysterium mater impellit, hic mater arguitur · quia adhuc quod ad
humana sunt exigat. Sed cum hic duodecim describatur annorum · illic
discipulos habere doceatur, vides matrem didicisse a filio, ut
exigeret a validiore mysterium · que stupebat in minore mi-
Et venit nazareth et erat raculum
subditus illis. Quid enim magister virtutis, nisi
officium pietatis impleret. Et miramur si patri defert, qui
subditur matri. Non utique infirmitatis sed pietatis ista subiecti-
o est. Attollat licet serpens ex malis emissus latebris coluber perfidie
caput et serpentinis evomat venena pectoribus, cum dicit se
filium missum · maiorem hereticus appellat patrem, ut imperfectum
filium dicat qui potest habere maiorem, ut alienis auxiliis affe-
rat eum qui mittitur indigere. Numquid et humano egebat auxilio,
ut materno serviret imperio. Deferebat homini, deferebat
ancille. Ipsa enim dicit, ecce ancilla domini. Deferebat simulato
patri, et miraris si deo detulit. An homini deferre pietas
est, deo deferre infirmitas est. Vel ex humanis divina perpen-
de, et quid patri amoris debebatur agnosce. Pater honorificat
filium, non vis ut filius honorificet patrem. Pater voce celesti
in filio se placere profitetur, non vis ut filius humane amictu
carnis indutus cum humana voce humano loquatur affe-
ctu · patrem dicat esse maiorem. Nam si magnus dominus et laudabilis